


LVNÆ DIE 13 M. IVNII A. 2016

Idibus Iuniis a. MMXVI

I 9 2

# M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA  
AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Rue des Aveugles, 14 A, B - 4210 Marneffe.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / [www.fundatiomelissa.org](http://www.fundatiomelissa.org)  
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne – n° d'agrément P912128



## CVI BONO?

– *scripsit Gaius Licoppe –*

**A**lbertus Einstein novam theoriam de «relativitate universalis» anno 1915 divulgavit, qua nitens anno 1916 prædictit «undas gravitationis» necessarie exstare; huiusmodi unda, sicut omnes undæ, est oscillatio, quæ a certo puncto orta longissime manat. Hic agitur de oscillatione curvaturæ «spatii-temporis», notionis, quam nobis vix fingere possumus, sed quam hic explicare locus non est. Undæ gravitationis gignuntur a massis acceleratis et in vacuo manant celeritate lucis.

Multi docti has undas in dubitationem adduxerunt; restabat ut experimentis demonstrarentur. Ab anno 1960 experimenta incohata sunt sed diu frustra; signum enim undæ gravitationis tantæ est tenuitatis, ut nullo instrumento eius temporis percipi possit.

Uno sæculo post Alberti Einstein nuntium, die 14 m. Septembris a. 2015, undæ gravitationis in Civitatibus Foederatis Americæ septentrionalis novis accuratissimisque instrumentis tandem detectæ sunt. Diurnarius, qui de hoc illustri facto scientifico referebat, reprimi non potuit quin finem symbolæ faceret his verbis: «Cui bono?» Et re vera multa pecunia publica erogata est in laboratoriis instruendis et instrumentis conficiendis, necnon ad salarium investigatoribus solvendum: et cur? Tantum ut pauci harum rerum peritissimi scite lætarentur...

Undæ gravitationis, quas Americani detexerunt, emissæ sunt occasione rari eventi incredibilis vis, quod in cælo amplius uno miliardo lucis annorum a nobis distans<sup>1</sup> accidit: duæ voragine nigræ<sup>2</sup> coalescebant. Sed ad observanda evenia in cælo tam distantia necesse est observatoria quo magis ingentia eo magis onerosa exstruere: pecunia publica erogata cui bono? Tantum parvo gregi astronomorum physicorumque. Idem dici possit de scientia fundamentali, nisi populus intellegat ex inventis scientiæ fundamentalis interdum nasci res practicas utilesque in vita cottidiana. Lunam appellere, ad quod faciendum ingens pecunia publica ab Americanis erogata est: cui bono? Ad Americanorum vanitatem fovendam? Musica, quæ colitur in sumptuosis ædificiis publicis et cuius artifices nonnumquam quoque magni constant, estne necessaria, estne utilis? Et pergere possumus...

Cui bono, etiam interrogatur de institutione veterum linguarum, præcipue Latinæ, Græca iam diu omissa, vel potius iam non interrogatur, sed autumatur earum studium esse tempus perditum.

Respondemus discipulis non prodesse angustam formationem, qua tantum fiant boni actores œconomici. Oportet eos latius erudire, ut mundum per se ipsos intellegere valeant; Historia iam ab Antiquitate maximæ est momenti nec minus familiaritas cum maioribus

nostris, Græcis et Latinis. Qui hodie non haberi solent ut nostri maiores, sed ut extranei singularibus moribus prædicti; consulto negantur esse nostri maiores culturales, quamquam sine ullo dubio sunt creatores fundamenti nostri cultus civilis.

Europæum institutum OCDE (*Organisation de Coopération et de Développement Économiques*), quod sedem habet Parisiis, creavit programma PISA (*Program for International Student Assessment*), cuius fama magis magisque crescit. Hoc programmata æstimanda comparañdaque est institutionis scholaris efficacitas in multis civitatibus, non solum Europæ occidentalis, sed quoque, inter alias, Iaponiæ, Coreæ meridionalis, Australiæ, Novæ Zelandiæ...

Scopus programmatis est æstimare in fine scholæ obligatoriæ (15 annos), qualem notitiam habeant discipuli de materiis habitis ut necessariis omni communi civi Europæo ut bene succedat in vita cottidiana.

Æstimatione nititur quattuor interrogationibus, de mathematica, de scientiis, de lectione, de problematis solvendis et magis agitur de modo quo adulescentes valeant suis notitiis uti in vita cottidiana, quam qualis sit eorum notitia theoretica in campo scientiarum vel litterarum.

In hac æstimatione annis 2000 et 2003 prima evasit Finlandia; ibi inæqualitates sociales optime corriguntur educatione ac parvæ tantum sunt differentiæ notitiarum inter pueros et puellas.

Post decem annos programma PISA factum est exemplum mundanum quod spectat ad qualitatem æqualitatemque institutionis; efficit ut regimina illique, qui institutionem curant, comperiant ad quem scopum suum institutionis sistema aptandum sit, i.e. ad necessitates œconomiæ mundanæ.

Ab hoc proposito longe abest nostrum, quod spectat ad veram iuvenum mentis libertatem. Hoc modo statim magnæ difficultati occurrimus: æqualitas est magni momenti effectus institutionis in programmata PISA, sed non omnes discipuli valent latius programma aggredi; eadem ergo schola non omnibus convenit, id quod nunc magis magisque est contra regiminum voluntatem. ☩

1. «Annus lucis» est mensura ab astronominis adhibita ad exprimendas ingentes distantias in universo observatas. Unus annus lucis = distantia a luce emensa per integrum annum; tantam distantiam nobis vix fingere possumus.

2. «Vorago nigra» vocatur astrum, cuius materia tam densa facta est, ut ne lux quidem ex ea emitti possit; hac de causa nigra vocatur et perdifficile detegitur.

## DE BVLGARICO CERTAMINE COMPOSITIONIS

- refert Demetrius Dragnev -

**H**oc anno habitum est primum in Bulgaria Certamen compositionis Latinæ studiosis universitariis necnon discipulis destinatum. Præstat dicere discipulos Bulgaricos quotannis præmia accipere in Certamine Ciceroniano, Certamine Horatiano Certamineque Ovidiano, sed in his Italicis certaminibus de textibus vertendis agitur. In nostro quidem novo certamine sub auspiciis Universitatis Serdicensis et Lycei Classici a Constantino Cyrillo Philosopho nominati participes ipsi aliquid conscripserunt et dein miserunt iudicibus, inter quos Milena Minkova procul dubio lectoribus *Melissæ* nota; Vladimir Athanasov optimus Latinæ linguae cultor et magister; Demetrius Dragnev Scholæ æstivæ linguarum classicarum conditor. Laudandi sunt igitur discipuli et studiosi Krasimir Ivanov, Magdalena Naneva, Betina Ianeva, Maria-Magdalena Peitchinova, Rumiana Pavlova, Stiliana Kovacheva, qui textus suos composuerunt. Vobis proponimus textum nostræ victricis DIANÆ ZULCHEVÆ, duodeviginti annos natæ, discipulæ Lycei Classici a Constantino Cyrillo Philosopho nominati.



PUBLIUS LUCIO SAL.

Hodie in scholam te visum ii neque aderas. Te docere desiisse accepi. Mihi mox scribas ne de salute tua solliciter. Vale.

LUCIUS PUBLIO SAL.

His diebus otio domi fruor et omne tempus in legendendo consumo. Ita quemque diem dego: mane cibum capio legens, serius in horto cum libro recumbo. Tunc amici mihi libellos ex urbe ferre solent ne ipse tempus in itinere faciendo teram. Postea inter cenam libros novos evollo et idem in lecto usque ad medium noctem facio.

Ceterum tandem omnia quæ apud antiquos de otio leguntur bene intellexi. Quotidie igitur nova disco et vitam multo honestiorem ago. A strepitu scholæ procul absum neque mihi res inanes curandæ sunt. Nihil enim mihi nunc pulchrius videtur quam sine ulla sollicitudine animum semper ad scientiam augendam intendere. Spero te idem facturum.

Cura ut valeas.

PUBLIUS LUCIO SAL.

Gaudeo tibi occasionem esse tot opera in quiete legere. Nonne autem in scholam revenire vis ut hanc scientiam tradas? Ubi tandem eam adhibebis si cum nemine colloqueris? Nescio quidem quid tot et tales

res scire prosit si eis nullo modo uti potes. Cogita, quæso, de reditu tuo. Vale.

LUCIUS PUBLIO SAL.

Pro scientia ipsa discendum est si celsa petere vis. Qui res tantum humanas tractat et temporis et dignitatis suæ iacturam facit. Nisi omnia quæ potes edidiceris et quam sapientissimus factus eris, totam vitam in nugis duces. Maiora dico nobis curanda esse. Me ipsum meliorem reddam, ad quod studium se quisque conferre debet. Vale.

PUBLIUS LUCIO SAL.

Vide potius ut facultatibus tuis recte utaris. Magna enim tibi potestas data est et sine dubio non solum te sed etiam multos alios ab errore avertere potes. Nisi in negotiis humanis interfueris hanc quidem potestatem res egregias gerendi amittes. Fac igitur ut multa in meliora mutes et omnia quæ discis ut te ad actus pares disce. Facta dico potius pondus habere et omnia studia ad actus compellere debere. Vale.


LUCIUS PUBLIO SAL.

Mihi mortalia tantum suspicere suades, etsi maior fructus e quibus sempiterna sunt capit. Cogitare enim et scire et salutem animi curare hominis proprium est. Elaborandum igitur est in eis rebus quæ et post mortem singulorum hominum supererunt. Quales numerantur et scientia et philosophia quas pro æternis habeo. Enitar ergo ut cogitationes meæ semper ad quæ perpetua sunt referantur. Quæ sane multo hominibus præstant qui omnes post brevem vitam morte occumbere debent. Valeas.

PUBLIUS LUCIO SAL.

Assentior quidem alia caduca esse aliaque quasi in perpetuum mansura. Illa omnia quæ didicisti cum a vita decesseris, quod sciam, amittes. Itaque nihil ea afferant nisi ad quæ vere sempiterna sunt adhibeantur. Sempiterna dico quæ aliis prosunt. Illa enim tantum ab aliquo probata et laudata vel utilia saltem existimata, vitam quandam perennem habere possunt. Homines profecto quid immortale sit constituunt et te quod apud eos valeat velle credo. Et illa quidem opera quibus tempus omne das per tot sæcula quod ad utilitatem aliorum et ut scientiam traderent scripta sunt superfuerunt. Cures igitur ut eis quam optime utaris; quid tibi pro aliis faciendum sit tecum reputa; libros et animi curam quæ nisi ad aliquid adhibetur parvi æstimanda est relinque teque potius ad actus confer. Vale. ☩

## DE ILLO QVOD APPELLATVR «EGO»

— *scripsit Iosephus Antonius Rojas Carrera* —

**Q**uid<sup>1</sup> vere sit illud quod appellatur ego maxima quæstio mihi esse videtur. Quum mecum hæc volvo, de natura sive essentia mei ipsius cogitans, hæc sunt quæ percepta habere mihi videor:

- 1) sensibus percipio aliqua;
- 2) ea, quæ sensibus percipio, iudico, hoc est, certa notione definio, nomino, memoriae denique mando;
- 3) quæ præterea iudicia omnia serere possum, scilicet ope legum rationis, itaque disserere, argumenta facere, ratiocinari, quantitates denique numerare eaque elementa ad calculos revocare;
- 4) sermonis denique ope, quæ sentiam, aperire et comunicare cum aliis queo...
- 5) insuper mente fingere possum quælibet atque coniectura assequi valeo ea quæ futura esse credo...
- 6) quæ præterea omnia cogitata convergere atque collinari videntur in centrum aliquod proximum, immo intimum ac profundum unde sensus omnis oritur... quod quidem centrum memet ipsum esse sentio...

Ceterum, ex me quæro an, certis notionibus, a sapientiæ studiosis, Europæi vel Christiani cultus participibus, sat dilucide definitum sit discrimen inter illud quod nominari forsan potest *ego personale*, *ego historicum*, vel etiam *ego autobiographicum* – ut obiter dicam, ignoscant mihi, precor quæsoque, purioris sermonis Latini cultores vindicesque quum pronomine quod est *ego* utar, haud scio an forte abutar, eo pacto velut si neutri generis esset, quod præterea quidam nostræ ætatis Latine scribentes fecisse videntur; ut enim de subtilioribus quæstionibus philosophicis simili insuper mente agere possim atque ea quam habent recentiores philosophi, ab integra ac pura Latinitate recendum est mihi, ni fallor, aliquantillum –, quod quidem personam et partes agit hac in mundi veluti scæna, ut ita dicam, et, altera ex parte, illud altius ac profundius *memet ipsum* quod vix definiri potest, centrum quod sit altioris sensus; illud, inquam, quod animadvertis omnia quæ sub sensum cadere possunt, quod fit conscientia cognitionum omniumque animi motuum, animique perturbationum, quod fit denique sui ipsius conscientia.

Etenim, legi apud nostræ ætatis scriptores quosdam, quos inter, Eckehardus Tolle numeratur, discri-


men esse faciendum, inter cogitationes cogitatave quælibet atque, altera vero ex parte, illud, nescio vere quid sit, cuius ope gratiave animadvertis eas ipsas cogitationes qualescumque sunt animoque contemplamur ea omnia quæ mente volvimus, ipsumque denique animum ea omnia considerantem quasi ex summa elatissimaque specula cuius speciem, præ nebulis altissimis vel præ eius caligine impenetrabili, nullo prosus pacto cernere valemus.



Quod præterea discrimen inter

- 1) facultates cogitandi, hoc est, definiendi, iudicandi, nominandi ea quæ sensibus percipimus, eaque omnia commemorandi, ex iudiciis sententiisve argumenta serendi, disserendi, ratiocinandi, atque, ope sermonis, proferendi... et
- 2) facultatem animo contemplandi, animadvertisendi vel intelligendi eas cogitationes omniave cogitata, non videtur mihi prospicienti tantum et a limine, ut aiunt, salutantи sat dilucide, perspicue ac manifeste factum esse apud nostrates scriptores quum veteres tum recentiores – nostrates autem eos appello qui Europæum cultum humanum participant qui præterea sunt *orbis*, ut nunc dicitur, *occidui*–, sed apud sapientiæ studiosos extremi, quem appellant, *orbis orientalis*. An totus falso? Pergratum igitur mihi faciet fortasse aliquando, horum commentariorum lector aliquis, utpote qui sit huius rei peritus, siquidem de iis omnibus me certior facere haud dedignabitur.





Nescio enim an hæc sentiens fallar totoque cælo errem...

Ex me igitur quæro an fuerint certe apud philosophos sapientiæ studiosos *occidentales* multi, fuerint ne nonnulli dumtaxat, qui sat dilucide ac definite eiusmodi discrimen fecerint.

Etenim, *orbis occidui* philosophi, quos quidem vel de quibus in enchyridiis historiæ philosophicæ legerim, videntur mihi haud satis dilucide tale discrimen fecisse inter mentis cogitationes cum suis notitiis omnibus et ipsam mentem sibimet manifestam, quod crediderint animum mentem seu rationem – vel quocumque id nomine significetur – idem esse ac facultatem cogitandi cum cogitatis omnibus, cui quidem menti opponatur corpus, cum affectibus, cupiditatibus, appetitibus animique motibus...

Ut unum exemplum afferam, præclarum illud Cartesii *cogito ergo sum sive exsisto*, subintelligere videatur animum sive mentem esse cogitandi facultatem, hoc est, dubitandi, iudicandi, argumenta serendi ac disserendi, ratiocinandi, commemorandi aliaque id genus, siquidem natura sive essentia eius in eo consistit ut cogitet, nec discrimen ullum fieri videtur inter cogitationes illas atque id quo statim animadvertisimus ipsum cogitandi actum eaque omnia quæ mente volvimus.

Duplicem igitur homini naturam esse Cartesius asseverasse videtur, itemque, nisi me animus fallit, alii philosophi permulti et ante et post eum, qui animal rationis compos hominem esse perhiberent, in corporis compaginibus inclusum. Et hæc quidem Platonis fere eorumque sescentorum auctorum, recentiorum etiam, qui, Platonis viam ingressi, sapientiæ studuerunt, quos inter, ut in transitu dicam, Picus ille Mirandulæ, qui de libero hominis arbitrio iudicans duplicem eius naturam esse quum rationalem eandemque incorpoream ac divinam, tum corpoream animatamque facili conjectura assequi possum ut credam.

Quid vero de subtiliore eo discrimine inter mentem cogitantem ac mentem puram eandemque liberam ab omni cognitionum turba, animadvententem insuper ea

quæ secum volvit, sentientem sese infinitum atque ineffabile spatium esse contemplandi, sentiendi, comprehendendi, intelligendi denique præsentia quæque adsunt? Estne hæc notio singularis ac propria eorum qui *Buddbisticam* doctrinam aliasve ei similes, velut illa quam Iaponice *Zen* appellant, amplexantur?



De hisce vero nihil certus dicere possum, quippe cui multa sint opera legenda interque se conferenda ut, tandem aliquando ad opinionem testimoniis firmatam roboratamque pervenire queam. Nunc vero non nisi crassa, ut aiunt, vel forte – quod averruncent superi – invita Minerva hanc rem agere possum, probabilia tantum coniectura neglegentius sequens...

Quum tamen, proh dolor, unius tantum Ciceronis unum opus philosophicum Latine recens perlegerim, – alterum certe opuscolum philosophicum Latine versum iampridem legi Renati, inquam, Cartesii *Dissertationem de methodo* –, nempe *Tusculanarum disputationum* libros quinque, quumque satis recenter studere cœperim illis placitis philosophorum *extremi orbis orientalis* quorum disciplinæ radices agunt in *Buddbistica* doctrina vel *Taoistica* et in illa haud mala – quod *incogitatiā* nescioquam colat – sed liberatrici, quieta nempe ascesi, supra cogitationes quaslibet, quæ vulgo *Zen* nuncupatur, vix me continere possum quin utriusque disciplinæ – orientalis scilicet occidentalisque – sententias conferam, comparem, velut ex uno sapientiæ



humanitatisque studio altissimo fonte exortas esse  
haud scio quomodo et nescio quare coniciens...

Num vero, ut unius Ciceronis exemplis utar,  
*Tusculanarum disputationum* auctor propius accedit ad  
illorum *orientalium*, de quibus modo mentionem feci,  
sententias de turbulentia cogitationum voragine, animi  
intentione compescenda, cum asseveret, quum alia tum  
hæc: ex opinionibus mali præsentis, malique futuri  
oriuntur animi perturbationes? Itaque si opiniones  
quædam causa sunt ægritudinum, tunc illa animi  
intentione non solum corporis dolores, ægritudinesque  
mentis, sed ipsæ opiniones pravæ, perversæ, malæ  
compescendæ sunt...

Ex me igitur quæro an exinde colligere possimus  
animum cogitationum conscientiam semovendum esse ab  
ista cogitandi facultate, ut docent quidam *extremi orbis*  
*orientalis* auctores quorum disciplinas supra laudavi.

Estne denique vinculum inter placita eorum aucto-  
rum et ea supra relata quæ apud Ciceronem legi? Estne  
denique vinculum inter eorum placita et ea quæ alii  
*orbis occidentalis* philosophi scripserunt?



Quid præterea dicam de vocibus, de vocabulis ipsis,  
Latinis dumtaxat – ut de Græcis nunc taceam, quæ  
subaudiuntur fortasse in verbis Latinis ab auctoribus  
usurpati qui Latine verterunt opera Græcorum philo-  
sophica –, quibus usi sunt orbis occidui scriptores illi  
ad *mentem, animum, rationem* significanda? Num illud  
nescio quid quod manifestatur velut animadversio  
omnium quæ mente volvimus sat definito verbo Latine  
aliisve linguis Europæis significatum est? Fortasse  
locutionibus quæ sunt *animi sensus* vel *mentis acies*?

Quid tandem sit illud spatium circumspectionis,  
animadversionis verbis notionibusque per se circum-  
scribi ac definiri nequit, alioquin menti obiectum  
quoddam esset, quod tamen non est. Igitur non est ali-  
quid – definitum scilicet –, nec tamen omnino *nihil*  
est.

Quæ præterea mihi consideranti videntur proprius  
accedere ad ea quæ, inter alios, philosophus neopla-  
tonicus Plotinus rettulisse fertur de *uno*, deque *ente* et



*non-ente...*

Suntne igitur, ut præteriens dicam, hæc similia  
atque ea quæ proferuntur ab iis qui disciplinam *zen*  
nominatam exercent, de *vacua*, quam appellant, *mente*?

Ceterum, nescio vere utrum animus sui conscius  
vel potius acies mentis sibi manifesta, ut videtur, inco-  
gnitum spatium comprehensionis animadversionisque  
sit ultra hanc corporis compaginem, quam quidem  
compaginem *psychosomaticam* nominare possumus; an  
sit potius facultas quædam ipsius corporei cerebri.

Utut est, licet animus ille non nisi cerebri nondum  
satis bene percepta facultas corporea sit, singulare  
tamen quiddam est quod hominem ad arcanum seu  
mysterium adducit.

Ea denique omnia, fatendum est mihi, prorsus  
ignoro. Quamobrem opera est mihi danda in perlegen-  
dis auctoribus mihiique elaborandum ut ad metam  
illam præoptatam perveniam aliquando. ☯

---

1. Hæc symbola etiam divulgata est in auctoris sede interretiali (<http://quodinsolum.blogspot.com.es/2014/06/de-illo-quod-appellatur-ego.html>), in qua  
vocabula quædam tangens accessum habes ad textus explicacionesve.

# DE CONVENTV ALF DECIMO QVARTO LEXINTONIÆ A. MMXVII CELEBRANDO

*- referunt Terentius Tunberg et Milena Minkova -*

## DE URBE

Lexintonia est urbs modica, tamen pulchra, cauponis, popinis, viridariis, aliis emolumenis satis bene instructa atque in regione amoenissima sita. Homines Europæ itinera Lexintoniam facturi e multis urbibus in Europa sitis nonnullas urbes Americanas (Atlantam, Cincinnatos, Chicagum, Detroitum, Carolinopolim [vulgo 'Charlotte']) petere poterunt, unde Lexintoniam recta via perveniant. Ne multa dicamus, plerisque Lexintoniam petentibus non erit necesse nisi semel consistere et in aliam aeronavem inscendere.

Sedes præterea vitæ cuiusdam communis et Latinæ Lexintoniæ exstat. Instituto studiis Latinis provehendis apud Universitatem studiorum Kentukianam anno MMI condito, multi discipuli ex omni America

Septentrionalis angulo necnon ex terris externis (inter quas Australia, Brasilia, Francogallia, Batavia, Britannia iam numerantur) Lexintoniam petunt, ubi litterarum Latinarum monumenta non tantum a Romanis antiquis tradita, sed etiam ætate recentiore condita legant, Latine de iis disceptent, Latine scribant, Latine inter se loquantur, Latine denique vivant. Conventicula quoque studiosis Latine colloquendi destinata quotannis tempore æstivo Lexintoniæ celebrantur. Permulti homines (plus minusve septuageni singulis annis) ex omnibus pæne terris continentibus Lexintoniam confluunt, ut his conventiculis intersint.

## DE DEVERSORIIS

Aliquot sunt devensoria prope ab Academia sita, ubi pretio modico pernoctatur. Quattuor quoque vel quinque discipulorum hospitia satis ampla sunt his novissimis annis in ipsa Academiæ regione exstructa, quæ conventuum participibus tempore æstivo elocari possint. Cubicula in his xenodochiis sunt nova necnon machinulis ad aerem temperandum aptis aliquo apparatu ad commoditatem vitæ spectante instructa.

## DE SUBSIDIIS PECUNIARIIS

Subsidia quædam conventibus destinata ab Academia Kentukiana petere possumus. Fieri etiam poterit ut alia subsidia aliunde (h.e. ab aliis societatisbus) accipiamus. Ne multa – quamvis suas quisque tesseras viatorias emere debuerit, veri simillimum est nos posse efficere ut saltem oratores aut in devensoriis aut in discipulorum hospitiis nullo pretio per totum conventum commorentrur. Fieri fortasse poterit ut cena communis omnibus semel saltem sine pretio detur.

## DE CONCLAVIBUS UBI ACROASES ET ORATIONES HABEANTUR

In Academiæ agellis sunt aliquot ædificia multis conclavibus scholasticis instructa. Sunt quædam conclavia minora, quædam ampliora, quædam ingentia et aliquot centenorum hominum capacia. Omnia hæc conclavia sunt novissimo apparatu electronicō perbene instructa. Hisce in conclavibus sessiones gratuito habere, orationes, acroases, acroamata gratuito audire licet. Hoc beneficium professoribus, qui magnos convenitus in academia celebrandos (et eos præsertim convenitus ad quos venturi sint homines multis e gentibus oriundi) curare velint, ab Academiæ Kentukianæ rectoribus conceditur.

## DE ANNI TEMPORE QUO CONVENTUS COMMODISSIME HABEATUR

Suademos ut Academiæ conventus XIV exeunte mense Iulio celebretur et cum conventiculo Lexintoniensi coniungatur – vel potius loco conventiculi Lexintoniensis habeatur, his de causis :

1. Quia circiter septuageni homines nonnullis e gentibus orti itineraque e multis regionibus facientes conventiculum Lexintoniense quotannis petunt, nec dubitamus quin tot homines quot singulis annis ad conventicula – etiam paulo plures – ad conventum Academiæ allicantur. Si multi quoque alii homines, qui conventiculum Lexintoniense adire non consueverint, itinera eo anno in Americam et ad Academiæ conventum suscepint, pæne exploratum habere poterimus homines conventui Academiæ XIV interfuturos esse satis multos.

2. Quia multa exercitia, multa acroamata, multa oblectamenta in usum præceptorum linguae Latinæ aliorumque qui opera Latine scripta Latine intellegere et explicare cupiant excogitata in conventiculis quotannis instruuntur. His emolumentis etiam frui possunt homines conventiculis nondum assuefacti, qui autem conventum Academiæ adire voluerint. Iam enim in Academiæ conventibus mos est ut aliquot sessiones rei didascalicæ dicatae habeantur. Tales sessiones paulo plures et ad plura argumenta spectantes Lexintoniæ instrui a nobis posse asseveramus. Auctores igitur sumus ut sessiones uno quoque die ita ordinentur ut res in conventiculis iam usitatæ quibusdam in sessionibus fiant, aliis autem in sessionibus orationes et acroases coram omnibus conventus participibus ab



Atro colore: Kentukia  
(Wikipedia)

Academiæ sodalibus more solito habeantur.

3. Quia conventicula annum pæne iam vicesimum Lexingtoniæ agitari solent. Itaque Academiæ ministri, qui subsidia electronica et deversoria curant, eo anni tempore adesse solent!

#### DE ITINERIBUS LUSORIIS DEQUE ALIIS OBLECTAMENTIS

Circa urbem sunt multæ regiones amœnissimæ nec non mirabilia visu digna. Itinera aliquot lusoria ordinari poterunt. In primis indicare volumus navem quandam vaporiarum generis antiquioris mercede conduci posse qua multi homines in flumine Kentukiano vehantur, cuius utraque in ripa sunt amœnitates

«felices atque beatæ» ut verbis Plinii utamur. Exstant quoque prope urbem prædia et curricula equorum celeberrima (nam Lexingtonia totius orbis terrarum ‘sedes equorum’ haud immerito vocatur), quæ ipsa regina Britannorum Elisabetha eius nominis altera invisere solet.

Suademos denique ut argumentum totius convenitus primarium vel thema ad *itinera* pertineat et ad rationes varias quibus adhibita sit lingua Latina ad itineria describenda vel tractanda. ☩

---

1. ALF = Academia Latinitati Fovendæ ([www.academialatinatitfovendae.org](http://www.academialatinatitfovendae.org)).

#### LAUDABUNT ALII

*Ad carmen Horatianum I,7 cecinit Anna Elissa Radke*

Laudabunt alii – quisnam laudat Mytilenen  
tot fugitivorumque refertam?  
Sunt quibus unum opus est claram celebrare Minervæ  
urbem – at nunc odiosam et asylo  
supplicium plenam miserorum, o noster Horati,  
dic, ubi sint socii miserantes?  
«Adde merum, vinoque» novas<sup>1</sup> nunc «pellite curas»  
hoc non sufficiet – miserere  
omne sodalicium, miseremini et omnia corda  
humanorum hominum, admoneo vos! ☩

---

1. Cf. Tibulli c.I,2,1 Adde merum vinoque novos compesce dolores.

# DE CAROLO HENRICO VLRICHS

## QVI MAGIS FECIT QVAM VT REVIVISCERET LINGVA LATINA

— *scripsit Michael Hirschler* —

**N**on dubito quin unusquisque et unaquæque nostrum Carolum Henricum Ulrichs noverit; illum Latinitate viva ardenter, qui sæculo undevicesimo primum periodicum totum Latine scriptum *Alaudæ* vocatum condidit ediditque.<sup>1</sup> Nihilominus, Ulrichs non solum de Latinitate viva optime meritus est, sed etiam de altera re quadam oblivione longe obruta. «Gaudeo me valuisse, ut contra spretus Hydram publicam pugnaverim et primus lanceam in corpore eius defixerim.»<sup>2</sup> His verbis Carolus Henricus Ulrichs se laudavit, quoniam primus ante omnes fortiter ac animose contra hominum homosexualium persecutionem discriminationemque pugnabat. Qui institutionem suam conservabat, cum vita sua invidiis et obtrectationibus in ingenium suum sexuale signaretur. Qui animæ atque fidentiæ causa «motus homosexualium præparator» recte appellatur. Ex ea re mihi cordi est ad memoriam Caroli Henrici Ulrichs magni animi servandam breviarium de eius vita ac virtute scribere, ut merita eius non solum ad Latinitatem vivam, sed etiam ad homosexualium statum hodiernum pertinentia laudemus.

### DE EIUS VITA AC OPERE

Carolus Henricus Ulrichs natus est die 28 m. Aug. anno 1825 prope Aurich oppidum in Frisia orientali situm. Patre anno 1835 mortuo Ulrichs cum matre sub avi tectum migravit, qui prope Hannoveram vixit. Gymnasio usus Ulrichs ab anno 1844 usque ad annum 1846 et theologiæ et iuri in universitate Gottingensi et ab anno 1848 historiæ in Berolinensi universitate studebat. Studiis Gottingæ et Berolini expletis auditor regno Hannoverano inserviebat et ab anno 1852 assessor iuris Hildesiaæ fuit. Anno autem 1854 quæstio in Carolum Henricum Ulrichs lata est, qua hic animam publicam conturbare accusatus est, quia in voluptate cum viris aliis fuit. Itaque Ulrichs se exauctoravit et in vicum domesticum Burgdorf vocatum remigravit, ubi causæ actor fuit; sed Ulrichs anno 1859 munus abdicandum fuit, cum esset ei interdictum munere fungi. Quam ob rem artificiis variis, ut ephemeredum scriptor et secretarius et legatus et alienorum sermonum magister, se tueri debuit. Attamen ingenium sexuale suum non occultavit. Viros amavit – et nullam causam vidit, cur hæc res improba esset.

Ab anno 1864 usque ad annum 1879 Carolus Henricus Ulrichs 12 commentarios scripsit, quos nomine *De masculorum amorum ænigmate* edidit.<sup>3</sup> Hoc in opere Ulrichs primus verbis novis usitatus est, quæ creavit, ut homines vocarentur, qui ad sui sexus homines attrahuntur. Viros, qui viros amant, «urningos» et mulieres mulieres amantes «urningas» nomina-

vit. Homines autem, qui sexum alterum amant, «dioningos» vocavit (hodie «heterosexuales» vocantur). Nam vox «homosexualitatis», verbum hodiernum valde usitatum, primum anno 1869 ab Austro-Hungarico scriptore, nomine Karlo Maria Kertbeny (1824–1882), ex verbo Græco ὁμός/homos (Latine «æqualis») et Latino «sexualis» composita est. Antea autem verbum quoddam malum exstabat, quod est «sodomites», quo ab Medio Ævo homines ab eodem sexu attracti vocabantur.

Ad hæc nova verba creanda Ulrichs de mythologia Græca cogitavit; nam, melius dictum, duas Veneris nationis fabulas adhibuit: ut enim apud Homerum legitimus Venerem e Dione cum Iove converta genitam fuisse. Itaque hæc Venus «Dionea» nominatur.<sup>4</sup> Genita est enim ex unione viri cum muliere et sexus varii amorem ergo significat. Præterea autem fabula altera traditur, qua Venus nata est e spuma, quæ ex Urani genitali, quod in mare ad Cyprum insulam ceciderat, orta est. Itaque cognomen «Urania» erat.<sup>5</sup> Secundum Carolum Henricum Ulrichs hæc Venus eiusdem sexus amorem significat, quoniam sine femina nata est, sed ex Urano (cælo) et Ponto (mari), qui ambo viriles erat.

In suis scriptis Ulrichs pugnavit contra homosexualium persecutionem et condemnationem punitiōnemque. Ad hoc postulavit eiusdem sexus amorem morbum peccatumque non putari; præterea matrimonium hominum eiusdem sexus approbari et cum coniugio inter virum mulieremque æquari. Hic vir etiam coniunctionem homosexualium condi in animo habuit, ut melius pro iuribus atque exæquatione pugnaretur. Hic circulus huius modi primus fuisset. Præterea periodicum quoddam publicari sibi propositum fuit, cuius unus fasciculus sub titulo *Uranus* anno 1870 editus est.

Ulrichs cum anno 1876 apud virorum doctorum iuris prudentiæ peritorum conventum Monachii habitu pluribus verbis de hominum homosexualium gradu ab illis in societate obtento dixisset et mores legesque mutari postulavisset, tumultus intra præsentes ortus est et Carolum Henricum Ulrichs magna voce clamantes ex ædificio expulerunt. Oratione habita Ulrichs primus fuit, qui palam contra iniuriam homosexualibus impositam vocem misit. Quamquam autem cladem accepérat, animo humili non erat, sed rem gestam suam célébravit. Eam immo vero pugnæ contra Hydram multicipitem factæ comparavit (cfr supra huius symbolæ superscriptum).

Postquam autem regnum Hannoveræ anno 1866 pars Borussiæ factum est, paragraphus Borussica § 143 accepta est, qua constituebatur homines gravius viros mulieresque homosexuales et persequi et multare

posse. Quam ob rem Ulrichs consilium cepit domo emigrare. In Italia, primum Neapoli, deinde in oppido quodam Aquila appellato et in Aprutio regione sito novam sedem collocavit et numquam iterum in patriam rediit. Nunc autem alteram vivendi viam ingressus est, cum se tote cupiditati magnæ suæ dederit, quæ erat Latinitas viva (vide supra)! Carolus Henricus Ulrichs annos septuaginta natus die 14 m. Iul. anno 1895 e vita excessit et Aquilæ sepultus est.

## DE FUNDAMENTO, QUOD ULRICHS IECIT

Ulrichs cum fortiter pro iuribus homosexualium pugnaret, condiciones iudiciales socialesque meliores facere non potuit. Homines, qui alias eiusdem sexus amant, diu adurgebantur; etiamnunc temporibus nostris amor inter duos viros duasve mulieres suspiciose adspicitur. Nihilominus, Caroli Henrici Ulrichs labor non frustra erat et fundamenta ad futurum virorum mulierumque homosexualium statum pertinentia re vera posuit: multi enim homines huius vestigiis ingressi sunt, ex.gr. Magnus Hirschfeld (1868–1935). Hirschfeld medicus Teodiscus fuit, qui primam totius orbis societatem nomine Commissum Scientificum Humanitarium anno 1897 condidit, qua pro iuribus hominum homosexualium transsexualiumque pugnavit. Hirschfeld gubernatores et iudices homosexualitatem morbum non putare postulavit; esse enim ingenium sexuale natura datum.

Cursu temporum primæ magnæ manifestationes publicæ ortæ sunt, quibus meliora pluraque iura pro homosexualibus postulata sunt. Magni momenti fuit homosexualium *Stonewall*-seditio, quæ dicitur, cum ante diem quartum Kalendas Iulias anno 1969 circulus hominum homosexualium in taberna *Stonewall* vocata in via quadam nomine *Christopher Street* Novi Eboraci sita reluctatus est, ne a custodibus publicis caperentur. Hoc factum toto in orbe terrarum maxime conspectum est.

Adhuc huius rei factæ meminimus: unoquoque anno sunt pompæ, quæ *Christopher-Street-Day* vel arcus cælestis pompæ vocantur, ut non solum vita libera et ius eiusdem sexus amoris celebrentur, sed etiam pro æqualitate et contra discriminationem pugnetur et animus ad condiciones malas homines homosexuales in multis nationibus orbis terrarum patientes advertatur! Arcus cælestis est signum communitatis homosexualis, quia variorum colorum causa signum vitæ et harmoniæ et pacis et spei varietatisque videtur.

Usque ad nostrum tempus multum in homosexualium iuribus profectum est: nam non solum comprobatio civilis magis crescit, sed etiam ex legibus.

Sic viri et mulieres homosexuales matrimonium inire possunt. In certis civitatibus Europæis et in Brasilia et Canada et Nova Zelandia, exempli gratia, matrimonium hominum eiusdem sexus approbatur et cum coniugio inter virum mulieremque æquatur. In aliis civitatibus, ut Germania vel Austria vel Helvetia, modus proprius institutus est, quo eiusdem sexus paria non matrimonium, sed unionem civilem, quæ dicitur, facere licet.

Hodie quoque eiusdem sexus paria liberos adoptare possunt; etsi in multis civitatibus homosexuales tantum illos liberos adoptare possunt, quos unus vel ambo e coniugibus secum in relationem dicit/ducunt. Tamen etiamnunc sunt homines, qui homosexualitatem ingenium naturale consuetumque non putant, sed potius portentosum ac pudendum. Multi homosexuales verum ingenium suum dissimulant, quia ne temnantur et discriminantur metuunt. Vero, iter longum est viros mulieresque homosexuales æquari et in societate ascisci, cum homines, qui eiusdem sexus homines amant, in multis civitatibus orbis terrarum vituperantur et necantur!

Proinde unusquisque et unaquæque nostrum societatem hodiernam benigniore ac liberaliorem futuram esse adiuvat. Nam nemini ingenii sexualis pudendum est. Nihil vero pulchrius est, nisi hominem invenis, quem ex animo diligis et hoc amore aperte et libere frueris – quemcumque sexum, sive virilem, sive feminum. ☙

- 
1. Ad eam symbolam scribendam hæc opera adhibui (in ordine alphabetico): – JENNIGES, W., «Alaudæ iterum cantant», *Melissa* 125, 2005, pp. 4-7. – KENNEDY, H., *Karl Heinrich Ulrichs. Sein Leben und sein Werk*, Stutgardia 1990 (Beiträge zur Sexualforschung 65). – SETZ, W., «Karl Heinrich Ulrichs zum 175. Geburtstag. Ein (Ge)Denkblatt», in: Setz, W. (Hrsg.), *Karl Heinrichs Ulrichs zu Ehren. Materialien zu Leben und Werk*, Berolinum 2000, pp. 1-16. – SIGUSCH, V., *Karl Heinrich Ulrichs. Der erste Schwule der Weltgeschichte*, Berolinum 2000. – STROH, W., «Karl Heinrich Ulrichs als Vorkämpfer eines lebendigen Latein», in: Setz, W. (Hrsg.), *Karl Heinrichs Ulrichs zu Ehren. Materialien zu Leben und Werk*, Berolinum 2000, pp. 81-92. – ULRICHS, K.H., *Alaudæ. Eine lateinische Zeitschrift 1889-1895*. Nachdruck mit einer Einleitung von Wilfried Stroh, Hamburgum 2004.
  2. Vide Karl Heinrich Ulrichs: «*Gladius furens. Das Naturrätsel der Urningsliebe und der Irrtum als Gesetzgeber: eine Provokation an den deutschen Juristentag. Sechste Schrift über mannsmännliche Liebe*». Cassala 1868, p. II.
  3. Prima cum quinque scripta divulgasisset sub nomine pseudonymo, quod «*Numa Numantius*» fuit, alia scripta sub vero nomine suo edidit.
  4. Cfr Hom. Il. 5, 370-417.
  5. Cfr Hes. theog. 188-206.

## QVÆDAM MYTHISTORIA GRÆCA IN SICILIA (III)

— *scripsit Fabius Martines —*

Dum in Sicilia Demetris cultus atque Persephones profunde inhæret, in Latio antiquior Italica religio Cereris et Telluris mutabatur. Ipsæ mense Ianuario colebantur sollemnitatibus «feriis sementivis» vocatis, quibus mos erat dona eis dari: farreas spicas Cereri, Telluri gravidam scrofam. Decursu temporum sola permanxit Cereris veneratio, cui potius quam Telluri oblatæ sunt frugum primitiae et «porca præsentanea», quæ vocabatur. Cum circa tertium sæculum Latina religio cum Græca sponte coniuncta est, Demeter assimilata est Cereri, Persephone et Dionysus Liberæ et Libero, vetustis divinitatibus Latinis, deinde Persephone etiam Proserpinæ. Ceres tamen et filia Proserpina suas partes servaverunt: altera mansit Tellus-Mater semper fecunda, quæ omnia gignit et recuperat, altera tritici vitale semen.

Cur autem Roma tam propensa fuit ad Græcam divinitatem mutuandam?

Fama fert olim, in vetere Romana re publica, sæviente gravissima ciborum inopia inspectos esse libros Sibyllinos. Antiquum tum oraculum monuisse Græcos deos Demetrem, Persephonem et Dionysum, famis auctores, esse sacrificiis placandos. Periculo sublato, Aulus Postumius, tunc temporis dictator, anno 493 Romæ ædificandam curavit ædem Cereris, ubi divina curabant «sacerdotes publicæ Cereris populi Romani Quiritium». Cum ergo Ceres princeps divinitas esset veneranda, mense Aprili dies festus creatus est, Cerealia dictus, necnon Ludi cereales. Coniunctio cum Græca Demetre ita increbuit, ut «sacrum anniversarium Cereris», quod mense Augusto celebrabatur, Persephones raptum et redditum commemoraret.

Inter has cærimonias Romanæ matronæ alba veste induitæ capillisque elegantissime compositis comitabantur deæ sacerdotes quæ etiam e Magna Græcia veniebant. Hac festa occasione et matronæ et sacerdotes castæ erant, panem non edebant, a vino abstinebant. Ludi cereales celebrabantur octo dies, usque ad diem 19 m. Aprilis. Anno 191 additus est novus dies festus, Ieiunium Cereris, ad mala expienda.

Quamvis cultus Demetris et Persephones pervulgatus sit in toto orbe Græco, mirum in modum vix inveniuntur nummi raptum memorantes, excepta Hennensi hemilitra de qua iam actum est. Sola moneta Murgantiæ nonnullos argenteos nummos ad Persephones effigiem inter secundum bellum Punicum cudit.

Antequam prima provincia Romana facta est, Sicilia opibus et copiis florebat. Sed postea, nimia agrorum cultura et vexationibus publicanorum, qui Siciliensibus urbibus dura vectigalia imponebant, insulæ condicio

mutata est atque ubique ortæ sunt serviles seditiones. Haud procul ab uberrimis Ætnæ agris Henna quoque, abrupto loco in media insula sita, «civitas decumana» facta est quod Carthaginiensium amicitiam non repudiavit, ut alioquin pleræque Siculæ civitates. Hennæ igitur anno 135 Syriacus servus Eunus cruentam rebellionem movit ac coram magno servorum concursu se ipsum renuntiavit Regem Siciliæ. Paulo post Romanæ legiones seditionem oppresserunt.

Denique, insula tota subacta, Roma sibi providere potuit rem frumentariam magni pretii. Triticum tam magni momenti erat, ut ipse Iulius Cæsar consul et pontifex maximus in argenteo denario anno 46 Cererem veneratissimam honoraret. Paucis annis post, duoviri Munatius et Cestius agrarias divitias etiam celebrare voluerunt uno ex ultimis æribus in Hennesi moneta signatis.

Ilo tempore Sicilia in magno erat discrimine: nam Sextus Pompeius, liberæ rei publicæ propugnator, cum potentibus triumviris bellis continuis rixabatur ac classe sua impediebat ne res frumentariæ Romam apportarentur. Ingenti enim classe Pompeius, cui Rex maris fuit cognomen, dominabatur. Naves onerarias, quibus triticum Romam vehebatur, retinere poterat modo etiam piratico. At propria pervicacia anno 36 profligatus est ab Agrippa, prælio navali apud Naupactum.

Dum moneta Hennensis postremum cudit, etiam Siciliæ prosperitas evanescerat præ Africana contentione. ☙

## LIBRI ADHIBITI

- Appianus Alexandrinus, *De bello civili*, V.
- M.P. Cato, *De agri cultura*, 134.
- M.T. Cicero, *De natura deorum*, II, 66.
- M.T. Cicero, *Le orazioni*, Torino 1, 1978.
- M.T. Cicero, *Orationes in Verrem*, Leipzig, 1923-1949.
- Ciaceri Emanuele, *Culti e miti nella storia dell'antica Sicilia*, Catania, 1911.
- Clemens Alexandrinus, *Protreptikos*, II, 21, 2.
- P. Darcque, *L'habitat mycénien: formes et fonctions de l'espace bâti en Grèce continentale à la fin du IIe millénaire a. J.C.*, Bibliothèque des Écoles Françaises d'Athènes et de Rome, 1981.
- Diodorus Siculus, *Biblioteca historica*, V, Ed. I. Bekker, L. Dindorf, F. Vogel, C.T. Fischer, 6 vol.,
- Bibliotheca Scriptorum Græcorum et Romanorum Teubneriana, Leipzig 1888-1906 (rist. 1985-1991).
- P. Foucart, *Les mystères d'Eleusis*, A. Picard Ed. Paris, 1914.
- Giannelli Giulio, *Culti e miti della Magna Grecia* [microform]. Contributo alla storia più antica delle colonie greche in Occidente, Franco Pangallo Editore, 2005.
- Herodotus, *Historiae*, Ed. Mondadori, 2000.
- M.J. Lagrange, *La régénération et la filiation divine dans les Mystères*



*Tellus Mater in Ara Pacis*

*d'Eleusis*, Revue Biblique, 1929.

P. Ovidius Naso, *Metamorphoses*, Einaudi, 1994.

Pseudo-Apollodorus, *Bibliotheca*, I, 5 (a cura di Michela Benedetti).

E. Quattrocchi, *I Misteri Eleusini*, Centro studi filosofici, Accademia Platonica.

G. Sfameni Gasparro, *Misteri e culti mistici di Demetra*, Ed. L'Erma di Bretschneider, 1986.

Theocritus, *Idyllia*, VII, Talisie.

W. Hansen, *Classical Mythology – A guide to the mythical World of the Greeks and Romans*, Oxford University Press, 2005.

G. R. Wasson, A. Hofmann, C.A.P. Ruck, *The Road to Eleusis. Unveiling the Secret of the Mysteries*, Harcourt Brace Jovanovich, New York & London, 1978.

---

LINGUÆ, sicuti probe notumst, inter vivas et mortuas distinguuntur. Qui sic docent linguis, tamquam mortuæ essent, vocantur philologi. Ceteri, qui linguis vivas docent, et linguam docent sicuti vivam, vocantur tantum magistri linguarum. A philologis despiciuntur, quamquam inter philologos homines totius orbis numerantur tæterrimi, cum inter linguarum magistros multi sint probi et sapientes.

*MAN teilt die Sprachen bekanntlich in lebende und tote. Diejenigen, welche alle Sprachen so lebren, als ob sie tot wären, nennt man Philologen. Die anderen, welche die lebendigen Sprachen und die Sprache lebendig lebren, heißen nur Sprachlehrer. Sie werden von den Philologen verachtet, obwohl sich unter diesen die entsetzlichsten Menschen der Welt befinden, während unter den Sprachlehrern viele gut und gescheit sind.*

(Hugo v. Hofmannsthal, *Französische Redensarten*, 1897; in Latinum vertit Wolfgangus Jenniges) ☩

## PRÆLIVM IN CÆLO

— *scripsit David B. Taylor* —

Humana ante oculos foede cum vita iaceret  
 In terris, oppressa gravi sub religione  
 Quæ caput a cæli regionibus ostendebat  
 Horribili super aspectu mortalibus instans,  
 Primum Graius homo mortalis tollere contra  
 Est oculus ausus, primusque obsistere contra;  
 Quem neque fama deum, nec fulmina, nec minitanti  
 Murmure compressit cælum, sed eo magis acrem  
 Inritat animi virtutem, effringere ut arta  
 Naturæ primus portarum claustra cupiret.  
 Ergo vivida vis animi pervicit, et extra  
 Processit longe flammantia mœnia mundi,  
 Atque omne immensum peragravit mente animoque,  
 Unde refert nobis victor quid possit oriri,  
 Quid nequeat, finita potestas denique cuique  
 Quanam sit ratione atque alte terminus hærens.  
 Quare religio pedibus subiecta vicissim  
 Opteritur, nos exæquat victoria cælo.

Lucretius *De Rerum Natura* I.62-79

**A**pparet ergo Professorem Dawkinsium nequaquam primum esse sui generis. Nec nugax est hæc comparatio; plus quam duo milia annorum a Lucretii tempore usque ad dies nostros sunt lapsi, sed nihilominus ambo eorum doctrinas utique easdem de scientia religioneque prædicant: scientia de mundo (quam philosophiam naturalem olim vocitabamus) tandem discooperta, religionem – semper terrorem lugubrem genus humanum opprimentem – nunc et posse et debere dissipari. Ut Darwinius ad Dawkinsium, ita Epicurus (ille supradictus ‘Graius homo’) ad Lucretium. (Dawkinsius, est animadvertisendum, ignarus esse videtur Darwinium ætate proiectum lamentasse mentem suam detrimentum passam esse ob nimium scientiæ studium, adeo ut non amplius poetarum figuris frui posset; insuper et timebat totam gentem humanam, eadem via qua ipse si perrexisset, idem detrimentum esse passuram; quod mea sententia his diebus evenit.)

Quæstio prima quæ confidentiam totius sectæ nomen Neoatheistarum sibi vindicantis turbare debet est hæc: quam arte illa sæcula inter illius tempus et nostrum cum Lucretii exspectatione congruebat? Et apertum est: plerumque nusquam, immo plerumque opponebatur. Post vitam illius circa quingentos annos non solum scientia (quod nunc dicimus) religionem extirpare non poterat, sed contra religio – sub forma nuper orsæ Christianorum sectæ – ipsam scientiam plus plus opprimere valebat, in orbe saltem Hesperio; quæ oppressio per mille annos postea prævalebat. Islamia interim, secta religiosa etiam recentior quam Christianismus, inquisitionis scientificæ vexillum ite-

rum levabat, usque dum litterarum Renascentia apud gentes Hesperias hæc studia augescere fecit, simul ac apud Islamicos deprimebantur.

Considera brevem narrationem de Christianorum contra scientistas oppositione. Antiquissimus mihi notus scientista est Thales Milesius. Anni vel ortus eius vel mortis sunt æque ignoti; famam sibi acquisivit cum solis eclipsin, quæ a.d. V Kalendas Iunias anno DLXXXV a.C.n. accidit, accurate prædixerat. Studia eius astronomica exorta sunt e Babyloniis, quæ quidem tota ille evertit cum asseverabat omnem de deis discussionem vitandam esse si ulliusmodi comprehensionem orbium cælestium attinere velis, quo tempore apud ipsos Babylonios orbes hicce cælestes quasi dei venerabantur. Ista separatio haberi potest quasi fundamentum illius artis quam scientiam his diebus vocamus. Thales tantum primus erat e numero apud Græcos philosophorum – plerumque ex Ionia emerserunt – quos præ-Socraticos nominamus. Philosophos dicimus, sed philosophia quæ illorum intererat naturalis erat, ea cui nos ‘scientiæ’ nomen indimus. Florebat non parvus numerus eorum per sæcula sextum quintumque a.C.n.; pone reliquerunt præterea corpus scriptorum satis notabile, cuius argumentum novimus auctorum e testimonio posteriorum; satis didicimus quoque quod si eorum libri etiam nunc exstant, maximi momenti æstimaremus eos esse. Sed re vera nullus eorum superest; et penitus suspicamur hoc esse quia per sæculum quartum et annos quinti priores p.C.n. Christiani de industria eos omnes deleverunt.

Bellum igitur inter scientiam religionemque adeo extensem est ut quasi permanens esse videatur. Quam ob rem? Quia ambo eorum inculcare volunt mundi exterioris totam explicationem et vitæ nostræ intra eum gestæ se solam offerre, et veritas est neutram posse; quod propter controversia, quamvis sapientibus appareat resolutibilis, sat probabile est numquam resolvetur. Religio his diebus bene novit ut ante scientiam progredientem se receperit, nec usquam intellegit quomodo contra hanc progressionem resistere possit; in eius defensione ergo nunc rogare oportet quibus partibus et quatenus hæc scientia desideriis nostris satisfacere nequeat. Sicut philosophi præ-Socrati, pro certo habet scientia hodierna mundum universum sine anima operari. Hic mundus universus in omni parte incessabiliter movetur; mirandum est tamen quod inter tanta et (ut videntur) tam irrationalia momina est nihilominus aspectus omnifarius: mundum in toto regulariter se gerere – et hoc est quod theistis persuadet hunc mundum re vera sub regula Dei (vel deorum) operari. Hæc regularia scientistas potentia dotant –

super omnia id quod probationem offert totius incepti – prædictionis.

Suggerunt theistæ: ‘Num credere possumus universum mundum tam regularem tam ordinatum non tamen intelligentia creatum esse?’ Hæc suggestio tota rationabilis esse videretur, nisi experientia refutaretur; eo quod isti qui pro certo habent nullam huiuscmodi intelligentiam sub mundi operationem subiacere per tempora longa explicaciones multo meliores magisque suasorias obtulerunt quam qui aliter æstiment. Ambæ sectæ de Legibus Naturæ disserunt, sed utraque propriam et inter se discrepantem opinionem de his legibus offert: theistæ inculcare volunt has Leges re vera consulta Dei Legislatoris esse, dum atheistæ tantum naturæ processus immutabiles esse affirmant.

Pro certo habere solemus scientiis hanc indolem esse rem necessariam: eas evidētia sola dirigendas esse. Est maximi sane momenti, sed non est essentia; res necessaria est prædicere posse. Historia, exempli gratia, evidētia dirigitur, sed non est scientia.

Historici non rarenter res futuras prædicunt, sed nemo conturbatur quando eorum prædictiones erroneæ esse ostenduntur; hoc est quod plerumque anticipamus – erroneæ erunt multo sæpius quam veraces. Ob hanc spectationem, cum historici prædictio erronea sit, dignitas eius nihilominus stat integra; ceterum cum scientistæ prædictio erronea sit, hoc manifestat eum penitus aliquomodo vagasse. Hoc omne æstimamus quia historicus niti non potest in istis immutabilibus ex quibus dependet tota ars scientistarum.

Humanorum ratio eorumque gesta nimis sunt varia, nimis (ut ita dicam) ultra prædictionis potentiam, ut aliquis prævidere possit qualia facta sint futura. Ob hanc causam scientistæ atheisticus arguere vult regulas in mundo universo immutabiles probationem sibi supplerere nullam esse creatoris intelligentiam subter his regulis operantem, alioquin tales regulas non amplius immutabiles fore: deinde quis scit an sub his condicionibus miracula revera observentur!

Quid ergo de illa scientia unica quæ præ ceteris Dawkinsii interest, quæ est biologica? Quæ ars scrutatur vix quasi inanimata describi possint. Ista vis evolutionis (quam dicimus) nonne certissime – ut theistæ asserere volunt – intentionem Operatoris revelat, eo quod evolutio est quæ nos humanos creavit: tantum specta originem huius processus atque finem eius – scilicet nosmetipsos; quomodo arguere quisquis potest sub tali processu nullam intelligentiam subiacere? Sed tantum hoc apparet cum præterita sola scrutamur; futura nunc in vice considera: num nos humani re vera æterni simus censendi? Et progressus ipse quoque

æternus? Propositio utraque perquam dubia esse videatur. Retrosum per milionem annorum præteritum specta: mundus aliter quam nunc est apparebit, longissime præ ullo humanorum emersu. Et iterum per annorum milionem prorsum aspice: an dubitandum est quin huius mundi status multo differat ab illo qui nunc est? Quod ad nos attinet, sat probabile est longius antea nos extinctum iri – aut per nostrum superabundantiam (adeo ut planeta ipse non amplius possit – aut nolit – nos alere), aut per alicuiusmodi calamitatem, qualem per æones in generum multitudinem animalium inflixit usque ad eorum deletionem. In quocumque eventu in dubio est num isti in talibus rebus periti ullo modo exspectent nos humanos etiamtunc superstites fore; appetit igitur hunc ipsum evolutionis processum vim inanimatam esse.

Redeamus nunc ad istam inquisitionem qua incepimus: num scientia usquam valebit religionem in toto deiicere? In mente tene hanc ipsam spem olim Lucretio amplissime declaratam esse. Sed, paululum tardius fortasse, oportet de annis nativitatis eius mortisque nunc disseram – tardius eo quod de ambobus annis multum disputationis inter gnaros est.

Responsum si ex *Google* requiris, vitam eius circa annum XCIX a.C.n. incoharam esse, et circa LV finitam, atque academicorum opinio plerumque cum hoc omnis consentit. Verumtamen consequitur eos assumere oportere – quod mihi saltem perquam improbabile videtur – Lucretium stilo de industria archaico usum esse in carmine suo scribendo; quamobrem decentius mihi apparet in dimidio secundo sæculi secundi a.C.n. vitam eius ponere. In mente tene annum centesimum a.C.n., et licebit tibi pro teipso eligere utrum hic annus mortis eius fuerit an nativitatis; sed in utroque casu plus quam duo milia annorum abhinc.

Scientia illis temporibus aliter æstimabatur quam apud nos: nusquam eius intererat quomodo – ut dictabat tempore Litterarum Renascentiæ Franciscus Bacon – status humanorum sublevaretur; philosophorum occupatio erat, nullam vitæ cotidianæ allevationem præbens. A tempore Baconis hæc allevatio præcipua scientiæ cura fuit, et amplior eius successus sic faciendo est fundamentum immensæ eius hodierneæ æstimationis. Aliquid autem estne inevitabile scientiam ad finem eundem semper processuram? Heu, timendum est non fore, eo quod primus gradus iamiam prolatus est sese recipiendi. Non est dubitandum quin scientia recte iudicaverit temperaturæ cæli mutationem (quam dicunt) nobis hunc planetam habitantibus inimicissimam esse; postulationi ergo scientistarum semper crescenti ut emissiones e petroleo et omnibus ceteris

fossilibus inflammatis nunc minuantur decenter responsum est. Sed e contra vanum est sperare nationum divitias usquequa auctum iri solis viribus quas dicimus renovandis utendo eadem efficacitate ac possumus supradicta fossilia usurpantes. Ad talem deminutionem assentiri est assentiri ad orbis opulentiae decresciam; quod propter oeconomias istas quas augescentes vocamus – quibuscum partem apud Americanos rei publicae dicatam iungamus – vix sperandum est huic foederi umquam subscripturas esse, vel etiamsi subscripterint, promissa postea actionibus confirmaturas esse.

Sed alia ratio est præterea multo maioris momenti, quam propter scientia religionem supplantare numquam valebit, etiamsi per duo milia annorum sic facere volebat. Per totam huius belli inter eas periodum est unicum castellum strategematicum (ut dicatur) quod circum certamen earum semper conflagravit: utrum mundus universus animatus est an non? Babylonii antiqui pro certo habebant animatum esse; philosophi præ-Socratici plus minus scientiam hodiernam genuerunt inanimatum esse contendendo. Iudaismus a doctrina de corporibus cælestibus quæ tamquam dei colebrentur abhorrebat, atque de hac re consentiebat Christianismus; ambo autem semper contendere volebant mundi universi motus non aliud esse quam potentiam Creatoris in mundo ab ipso creato manifestam. Ego si adumbrare vellem nullam scientiam in Biblia inesse, evangelici opiniones tralaticias profientes statim contra insurgerent dum vociferarentur tractus innumeros inesse miracula naturæ ostentantes. Sunt vere, sed asseverant talia miracula non aliter quam acta Dei æstimanda esse, quod totum ab æstimatione scientifica differt.

Mundum universum revera inanimatum esse semel concesso, nonne per ipsum illud supradictum castellum hosti tandem reliquimus – immo totum certamen iam deseruimus? Minime; eo quod concessus, tametsi nusquam ipsi scientiae pro detimento habeatur, nihilominus exspectationi eius religionem aliquando supplantandi damnosus est. Inspice quæ sequuntur: mundus universus si revera inanimatus est, non amplius asseverari potest eum ulliusmodi propositum vel significatum exhibere, nec qualiacumque moralia – nec moralium fundamentum etiam minutissimum, sed fortasse ipsi contrarium. Darwinius, exempli gratia, confessus est theorema suum de evolutione nequamquam ulliusmodi doctrinæ moralis fundamentum præbere, sed potius contrarium: moralium doctrinam quæ contemptum pauperum debiliumque prædicat – vel etiam deletionem – totam contrariam omnibus quæ

moralia sint habenda iudicandam esse. Tale theorema plus minus regulas capitalismi dirigit, sed his diebus apud iustos constat etiam inter gentes capitalismo deditas oportere debiles ex ore prædatorum liberari. Hoc semel concesso, vita hominum diurna paululum scientiae debitor esse videtur. An vere nostra interest cum scientistæ affirmare volunt aquas olim in Martis planeta manasse, vel de fluctibus gravitationis per spatia immensa fluentibus disserunt? Quomodo talia vitam nostram usquam afficiunt, vel pro meliore vel peiore?

Contra autem ista omnia de quibus scientistarum nusquam interest, methodus quoque talia rimandi, hæc omnia necessitudinibus nostris dum vivimus ministrant. Non tantum aliquanti perceptionem significatus propositique desideramus, his demptis non amplius vivere possumus; tibi cum persuadere desieris vitam tuam hunc significatum vel propositum exhibere, sat probabile est te ipsum interficere parare. Qui credunt scientiam totam veritatem præbere, asserunt præterea omnes id genus notiones e quibus tales perceptiones emanant totas subiectivas vel potius ficticias esse; quod vero proximum sit, sed nihilominus totas esse nobis necessarias – non sunt ergo solum additamentum valde cupitum ad vitam nostram. Permulta nationes per totius orbis annales fuerunt quarum parum vel nequaquam scientia intererat; nisi cum aliis nationibus conflictæ scientia multo peritioribus, nil detrimenti passæ sunt; sed frustra exquires nationem cuius consilium sit omnes moralium notiones respuere eo quod subiectivæ sint, tantum præterea se dirigere per præcepta a scientistis vera et obiectiva iudicata. Haud fieri potest. ☩

## DE NOVIS LIBRIS

Carlos Martínez AGUIRRE, *Een bizarre odyssee. Belijdenissen van een classicus*, uit het Spaans vertaald door Martin BAASTEN, 's-Gravenhage, Quintessentia, 2016, 126 p.

Vera quidem Odyssea hoc libro lectu iucundissimo narratur: nam sicut Ulixes multos per annos erravit antequam patriæ redditus est, simili modo litterarum classicarum magister, aptam docendi rationem ægre quærens, Charybdim vitans in Scyllam incidere solet. Propriam experientiam, a schola usque ad studiorum universitatem gradumque docentis, auctor narrat perlepidè: sic videmus quæ itinera, qui homines, quæ lectiones eum paulatim adduxerint ad bonam, id est vivam methodum colendam. Nec mirabuntur nostri lectores, si auctor ad hanc rem adductus est a Iohanne Ørberg eiusque claro opere *Lingua Latina per se illustrata* inscripto, si vivam Latinitatem exercuit in Circulo Latino Matritensi, si in Academia Vivarium Novum versatus est. Opportune fecit Martinus Baasten, quod hanc Odysseam lectu vere dignam omnibusque magistris utilem in Nederlandicum transtulit. Opportune etiam facient alii, qui eandem in alias linguis transferre volent.

ISBN 978-90-79449-05-7

## Harundine, societas Flandrica Haicubus Latine pangendis

Societas Latina cui nomen Harundine haicua de bello, quod omnia ad tempora attinet, in editionem collecta præparat ut autumno anni 2016 in lucem proferatur.

Qui fasciculus multis linguis (Latine, Nederlandice, Anglice) compositus atque *Quid susurrat ventus?* inscriptus, continet carmina propria et aliena ex Nederlandico conversa.

Curiosi qui ante pactam diem (2016/7/15) præsignaverint in Tabula Gratulatoria appellabuntur. Itaque scriba societatis de nomine et domicilio et – si habes – inscriptione electronica quam celerrime certior faciendus est per epistolam chartaceam (Hugo Kempeneers, Reigerstraat 22, B-1850 Grimbergen) seu – quod præponendum – electronica (hugo.kempeneers@telenet.be).

Quamvis pretium huius editionis nondum pro certo constitutum sit, ex æstimatione tamen circiter viginti euronibus constabit, fortasse – Fortuna favente – vilius. Pecunia non antea sed fasciculo prolato solvenda est. Omnes qui præsignaverint tempore commodo necessaria comperient.

Frans TERRYN, Praeses

## Nuntius allatus a domo editoria MundusLatinus

*Miraculum vitæ*, libellus, 107 paginæ, magnitudo 24,0 x 17,0, 185 photographemata illustrationesque plerumque coloratæ, auctor Arminius Maiwald, interpres Udalricus Kraufse, 19,95 Eur., ISBN 978-3-9813892-5-8

*Fabulae Latinæ*, Tomus 1, libellus, 93 paginæ, magnitudo 24,0 x 17,0, 126 photographemata illustrationesque plerumque coloratæ, auctor Arminius Maiwald, interpres Udalricus Kraufse, 19,95 Eur., ISBN 978-3-9813892-6-5

Lingua antiqua in forma nova – aptata, facilis intellectu, attractiva. In serie liborum nomine «Arminius narrat...» gratæ fabulæ auctoris Armini Maiwald recenti more narrantur – atque lingua Latina.

Primum, editione speciali huius seriei, invenimus *Miraculum Vitæ*: unum ex maximis inceptis, quæ Arminius et socii eius umquam peregerunt. Multis imaginibus attractivis non modo videmus quomodo homo novus oriatur, sed etiam quomodo vita privata parentum futurorum temporibus maxime mutabilibus plene perturbetur.

Tomo primo libelli *Fabulae Latinæ* legimus:

1. Latrina sideralis: in stratum cosmicum volare tibi solum licet, si latrinam sideralem recte adhibere potes.
2. Vestimentum officiale Papæ: omnis bulla propriam fabulam habet.
3. Ignem facere: cum silice et fomite – ignitabulum ætatis lapideæ.
4. Placenta præcipua: duo cum idem faciunt, non est idem.

Ambo libelli imaginibus abundant: omnis imago paucis verbis explicatur. Initio mensis Iulii anno 2016 ambo tomi divulgabuntur. Mandatione præmatura usque ad 15.5.16 librum additum a societate Munduslatinus gratis accipies.

Mitte, quæso, mandationem præmaturam per epistolam electronicam ad ulrich.krausse@t-online.de

Tel.: 05451-9975525 – Ulrich Kraufse, Große Str. 54, D-49477 Ibbenbüren – www.munduslatinus.de


# BIBLIOTHECA LATINA

Theodericus SACRÉ (ed.) , *De Desiderio Erasmo eiusque fortuna commentationes*, Acta Conventiculorum Academiæ Latinitati Fovendæ I, Marneffe, Melissa, 2016, 156 p.

Conventiculum, cuius Acta hic eduntur, Romæ anno 2011 celebratum est, id est semimillennio postquam *Stultitia et Laus* primum est divulgata. Hæ habitæ sunt acroases:

Gaius Licoppe, «*Ego mundi civis esse cupio*». *De Erasmi mundo*; Terentius Tunberg, *Quænam Erasmus ille Roterodamus de litterarum Latinarum recentissimarum patrimonio senserit*; Curtius Smolak, *Erasmi artis imitandi exempla quattuor*; Theodericus Sacré, *Erasmus versificatus sive De civilitate morum puerilium libellus a Francisco Hæmo in disticha elegiaca conversus*; Andreas Fritsch, *Erasmus apud Comenium sive quid senserit Ioannes Amos Comenius de Erasmo Roterodamo*; Milena Minkova, *De ratione scripta Erasmica in scholis proponendi*; Ioannes Carolus Rossi, *Meridiatio*.

Hunc librum Academia Latinitati Fovendæ venalem habet apud sodalitatem Melissam. Pretium: 15 eur. (+ 10 eur. pro sumptibus cursualibus in Europa).





# *In hoc fasciculo !*

*Cui bono? [G. Licoppe] p. 1  
De Bulgarico certamine compositionis [D. Dragnev] p. 2  
De illo quod appellatur «ego» [I.A. Rojas Carrera] p. 3  
De conventu ALF decimo quarto Lexintoniae celebrando [T. Tunberg, M. Minkova] p. 6  
Laudabunt alii [A.E. Radke] p. 7  
De Carolo Henrico Ulrichs qui magis fecit quam ut reviviseret lingua Latina [M. Hirschler] p. 8  
Quædam mythistoria Græca in Sicilia (III) [F. Martines] p. 10  
Prælium in cælo [D. B. Taylor] p. 12  
Bibliotheca Latina p. 15*

*Imago tegumenti: Carolus Henricus Ulrichs  
(fons: Bildarchiv der Ostfriesischen Landschaft).*

---

## *Latine loqui :*

Conventiculum Bostoniense - 26 m. Iulii - 3 m. Augusti a. 2016  
[https://www.umb.edu/academics/caps/summer\\_programs/institutes/latinbysea](https://www.umb.edu/academics/caps/summer_programs/institutes/latinbysea)

Conventiculum Dickinsoniense - In Pensilvania, 5-11 m. Iulii a. 2016  
[http://www.dickinson.edu/info/20033/classical\\_studies/61/teacher\\_workshops](http://www.dickinson.edu/info/20033/classical_studies/61/teacher_workshops)

Conventiculum Latinum - Lexintoniae, 24-31 m. Iulii a. 2016  
<http://mcl.as.uky.edu/conventiculum-latinum-lexingtoniense-2016-latine>

Feriæ Latinæ Ferigoletenses - 20-27 m. Iulii a. 2016  
[marie-antoinette.avich@orange.fr](mailto:marie-antoinette.avich@orange.fr)

Linguæ Latinæ institutio æstiva - Romæ apud Academiam Vivarium Novum  
<http://vivariumnovum.net>

Schola æstiva Bulgarica, in urbe Atia (ad Mare Nigrum sita) - 21-30 m. Augusti a. 2016  
[dimitar.dragnev@gmail.com](mailto:dimitar.dragnev@gmail.com)

Septimanæ Latinæ Europææ - Amcneburgi, 30 m. Iulii - 6 m. Augusti a. 2016  
Frisingæ, 21-27 m. Aug. a. 2016  
<http://www.septimanalatina.org>

Societatis Latinæ seminaria Latinitatis vivæ - In abbatia Ottiliensi, in Bavaria, 18-23 m. Iul. a. 2016  
In oppido Theulegio, in Saravia, 7-13 m. Aug. a. 2016  
[www.voxlatina.uni-saarland.de](http://www.voxlatina.uni-saarland.de)

Symposium Latinum in Sicilia, 20-25 m. Aug. a. 2016  
<https://europalatina.live/symposia/>

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 20 eur. / 25 \$

BNP Paribas Fortis :

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539



MELISSA